

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

Tübingen, Universitätsbibliothek (D-Tu)

Mc 48, f. 1-10r

Transcription : Christian Meyer

(avril 2005 – rév. oct. 2017)

1r ¹Expedit et consonum est rationi, ut si quid utilitatis artis musice noticia conferat brevi perstringatur ratione. ²Tanto nempe in quacumque sciencia quispiam se reddit studiosiorem, quanto huiusmodi sciencie utiliora noverit rudimenta. ³Huius utique artis musice quam utilis quamque delectabilis extitit tam apud veteres quam apud modernos multorum scripta doctorum patefaciunt luculenter.

⁴Hec est enim illa omnium liberalium <artium> excellentissima, que ceteris infimis derelictis sola volat ante tribunal dei. ⁵Nam cantabant sancti quasi canticum novum ante sedem dei ut habetur in *Apocalipsi*. ⁶Hec insuper est illa nobilissima sciencia, cum qua sancti in devocionibus se solent occupare, per quam et peccatores veniam petunt, qua mediante eciam tristes refocillati solidantur, et leti alacres efficiuntur. ⁷Qua laboribus fatigati sublevantur, ⁸qua convivantes exilarantur, ⁹qua spiritu maligno vexati levius se habent, ut patet de Saul qui spiritu maligno correptus canore cithare davitice liberabatur. ¹⁰Qua eciam pugnantes animosiores efficiuntur, ut patet de clangore tubarum vel de

1-10 (... instrumentorum) TRAD. Holl. VIII 4, 2-9

1 Pulcerrimus tractatus *add. marg. sup.*

9 correptus] correctus *ante corr.*

strepitu aliorum musicalium instrumentorum, quanto enim vehemencior fit tube clangor, tanto ad certamen fit animus fortior. ¹¹Ac etiam aliquos musice cantus ad tollerandum labores roborat et confortat, animum mulcet, et singulorum operum fatigationem modulacio vocis consolatur. Ipsas quoque bestias necnon serpentes, volucres et delphines ad auditum sue modulationis musica provocat et hortatur. ¹²Hec siquidem scientia modulante mentes audientium delectat, et veritatis excitat amorem, et per sonos exteriores ad spirituales dulcedines animat[ur]. ¹³Namque tanta vis est autem musice, ut ad letitiam intrinsicam et etiam mentes deflectat[ur] audiencium. ¹⁴Itaque per cuncta studia et etates diffunditur, ut infantes, iuvenes, viri, senes et mulieres dulcis cantilene delectatione modo congaudeant naturali. ¹⁵Et constat teste Boecio in sua musica, si eciam vox et ars homini desit, ut suaviter canere non possit, tamen ad se oblectandum singulariter aliquid canit secundum quamdam insitam dulcedinem. ¹⁶Quapropter quis dubitat magnam huius artis esse potentiam, que tot tantisque modis vires suas extendit. Undique nec dubitandum <est> nobis musicam etiam esse naturaliter coniunctam, ut sine ea esse nequamus.

Omnis igitur homo praesertim literatus huic scientie operam det. ¹⁷Nam teste Ysidoro in libro *Ethymologiarum* « non est minus dedecus nescire cantare quam litteras ignorare ». ¹⁸Et subdit

11-20 (ad tollerandum...) TRAD. HOLL. VIII 4, 11-26

15 cf. BOETH. mus. 1, 1 (p. 186, l. 25-28)

16 (undique...) cf. BOETH. mus. 1, 1 (p. 187, l. 8-10)

17 ISID. etym 3, 16, 2

12 per sonos] personas ? *cod.*

13 etiam] etiam intrinsicam *cod.*

14 cantilene] cantalene *cod.*

15 singulariter *dub.* (sive ?) | aliquid] aliquis *cod.*

« itaque sine musica nulla disciplina potest esse perfecta, nichil enim sine illa est. Nam et ipse mundus armonia sonorum fertur esse compositus et celum sub armonie modulatione resiliuit ». ¹⁹Quapropter summo opere musice sciencie a nobis est intendendum, ut eam scientiam, quam a natura habemus, scientia quoque et arte magis expertam habere valeamus. Non enim sufficit tantum cantilenis delectari nisi etiam, que sit vis cantilene cuiuslibet, artificio et studio valeat constare. ²⁰Nam interdum | accidit ut cantus auribus dulcis appareat, et tamen a ratione inconsonans iudicatur. Et igitur musica reperta videtur, ut illud quod aures varie et confuse accipiunt, ratione probabili et congrua discernantur.

1v

Versus :

²¹ Musica quid valeat et quantum tu bene nosce²² Egrotum sanat confortat musica sanum²³ Exhilarat parvum iuvenem canum quoque virum²⁴ Praecipue cerebri morbos mentisque timorem²⁵ Lenit et alleviat fugat et facit esse minorem.²⁶ Sic et Pitagoras sanavit luxuriosum²⁷ Qui fuit illecebris cantu lascivia crescit²⁸ Musica confortat tristem solatur agentem²⁹ Oblicumque vie facit hunc ascendere montem³⁰ Exanimat fures, latrones agit abire³¹ Curas depellit facit et quandoque perire³² Adiuvat in bello timidos revocat fugientes³³ Fortes protulit palmam bellando petentes³⁴ Insuper ut buccinas ad cantum saltat in hostes³⁵ Hos quoque prosternit prius inmotos quasi postes³⁶ Ac David in Saule sedauit demonis iram³⁷ Ostendens cithare virtutem carmine miram.

¹⁸ ISID. etym 3, 17, 1²¹⁻³⁷ cf. PS.-MUR. summa, v. 278, 280-285, 288-295, 298-299)

²⁹ montem] mentem *cod.*

³⁸Quoniam circa artem musicalem multi hodiernis temporibus cantando declinant, ut ergo ignorancie nubem expellamus de cantu corali, ³⁹proponimus artem compendiosam promulgare, hoc est de tonis et quibusdam tonorum proprietatibus et eorum regulis, circa que ars musicalis versatur, quam utique artem de celestium virtutum choris, ⁴⁰ubi sine fastidio in auribus summi creatoris ineffabili delectatione non desinit armonia, desuper homini datam, prout viribus competit humanis, non ambigimus, ^{41a}eo quod sine ipsa non alias cantum scire, contingat compendio huius summule ad discernendum quis cantus sit regularis, et quis non proprio esse.

^{41b}Consequenter intendimus unde et ioculatores et hystriones, qui prorsus sunt illiterati, dulcissimas aliquando videmus contexare cantilenas. ⁴²Sed sicut grammatica et loyca et cetere artes, si non essent conscripte ac per precepta elucidate, incerte et confuse haberentur et ita et hoc modo. ⁴³Sed cum clericis maxime sit necessaria et eam exercentibus utilis et iocunda, non est igitur parva laus nec modica utilitas non vilipendendus labor musice scientie que sui cognitorem compositi cantus efficit iudicem, falsique emendatorem et novi inventorem. ⁴⁴Verum tamen que utiliora videntur ac magis necessaria ex aliorum codicellis, et presertim Guidonis et prefacione musice Iohannis compendiose colligamus. ⁴⁵Placet autem aliquantis libellum capitulis distinguere, ut si quis lector inter cetera avidius quesierit hoc atque facilius per premissas annotationes reperire valeat.

⁴⁶Et in prima parte huius oppusculi in primo capitulo videndum est quod sit musica, quod duplex sit, et quod sit minimum in musica.

41b-43 (... iocunda) IOH. COTT. mus. 2, 4-5

43 (non est...) IOH. COTT. mus. 2, 7

40 ambigimus] ambiguum *cod.*

41 prodesse] pro posse? *cod.* | contaxare *cod.*

45 capitulis] capitulum *cod.*

46 quod²] quot *cod.*

⁴⁷Secundum est de equivocacione soni et quot sint et de nominibus tonorum.

⁴⁸Tertium est de proprietatibus tonorum, de officiis et virtute singulorum.

⁴⁹Quartum ostendit quot sint claves finales omnium tonorum.

⁵⁰Quintum est de ambitu tonorum et quomodo habeant cognosci.

2r ⁵¹Sextum ostendit quod octo sunt toni et septem sunt ambitus tonorum.

⁵²Septimum ostendit rationem quare primus et octavus soli habent eundem ambitum et quare alii non.

⁵³Octavum de convenientia et differentia cuiuslibet autentici cum suo plagali.

⁵⁴Nonum est de convenientiis et differentiis autentorum inter se.

⁵⁵Decimum est de comparatione quatuor plagalium inter se.

⁵⁶Undecimum de clavibus quibus omnibus autentis.

⁵⁷Duodecimum querit utrum maior sit distancia autentorum inter se quam plagalium, vel autentici ad suum plagalem.

⁵⁸Tredecimum est de regulis et licentia uniuscuiusque toni.

⁵⁹Quatuordecimum quare excellentes sint invente cum tamen nullus tonus eas attingat.

⁶⁰Decimum quintum de octo tenoribus sive inceptions diversis.

⁶¹Decimum sextum quod nullus tonus habet tenorem ultra quintam preterquam tercius.

⁶²Decimum septimum in qua clavi unusquisque tonus incipiat suum *Gloria* sive psalmum.

⁶³Decimum octavum de differentiis seculorum cuiuslibet toni vel de gradibus inicialibus eorum.

⁶⁴Decimum nonum quod 10 sunt claves in quibus incipiatur unusquisque tonus.

⁶⁵Vigintum quod primus tonus solus habet notam initialem sub se et nullus autenticus plus.

⁶⁶Vigintum primum ostendit quis sit cantus regularis et quis irregularis.

⁶⁷Vigintum secundum ostendit quomodo cantus irregularis debet excusari.

⁶⁸Viginti tertium ostendit quod octo sunt modi intonandi et octo sunt modis cantandi versus responsoriorum.

⁶⁹Viginti quartum ostendit tonos officiorum.

<I>

¹Musica sic describitur : est ars vocum distancias simphonias-que proportionaliter demedicans, vel sic : musica est tonorum scientia. ²Est enim musica nihil aliud quam vocum motio congrua, et quamvis multi sunt inventores eius, cum Pitagoras sapientia clarissimus, et facundia invictissimus, ingenio acutissimus dicitur reperisse musicam sub tali investigatione. ³Nam quodam tempore iter faciens, fabricam preteriret, diversos ut fieri solet maliorum in ea audivit sonitus, ibi cum aliquantisper <...> artis musice ibi latitare cognovit. ⁴Nec mora in fabrica introivit, malleosque caute pensare cepit, paulatimque sex vocum discretionones necnon et ipsarum consonantias sollicitus indagavit. ⁵Guidoque monachus extitit, qui vocum et tonorum indagator solertissimus fuit, Tubal qui de stirpe Chain ante diluvium instrumentorum registrator fuit, Iohannes de Muris tocius musice regulator acutissimus fuit, Iubal proporcionum modalium epilogator subtilissimus fuit.

Versus :

⁶Pitagoras reperit, transfert Boetius ipse

⁷Infestigator Gwido Tubalque registrat

⁸Iubal epilogat, normas ponitque Iohannes.

6-8 TRAD. Holl. *passim* (cf. Meyer, *Versus*, p. 77)

2 infestigatione

3 diversos] diversi *cod.* | aliquantisper <...> artis] aliquantis peratitur? artis *cod.*

8 normas] nors *cod.*

2v

⁹Dicitur autem musica a *musa* quod est instrumentum omnis musice superexcellens in instrumenta humano siquidem inflatur spiritu, et tibia manu temperatur, ut figula, folle, concitatur ut organa[tur]. ¹⁰Et est triplex, scilicet armonica, rigmica et metrica. ¹¹Armonica est que discernit in sonis acutum et gravem sonum secundum elevationem et depositionem. ¹²Et armonia dulcis cantum consonantia proveniens ex proporcione debita in diversis vocibus, flatibus, pulsibus | sive sonis. ¹³Nam, ut dicit Ysidorus, a voce editur sonus sicut per fauces, aut flatu sicut per fistulam atque per tubam, aut pulsu ut per citharam vel que percussa sunt canora, ¹⁴et armonia ab *ari* et *monos*, quod est unum, quia ad unam concordiam tendunt in cantibus omnes voces, ut dicit Hugo. ¹⁵Nam in omne melodia exiguntur plures voces sive soni et quod hi sunt concordēs, quia una vox tantum aures non placat et diversitas ullulatum procreat. ¹⁶Sed ubi est vocum plurimarum et diversarum concors unio, ibi est armonica proportio, modulatio vel dulcis simphonia. ¹⁷Et per hanc armoniam voces acuciores et graviore conveniunt et concordant.

¹⁸Ad perfectam autem vocem requiruntur quatuor, scilicet sit alta, suavis, fortis et clara. ¹⁹Alta ut in sublimi sufficiat, clara ut aures impleat, fortis ne trepidet aut defficiat, suavis sive dulcis ut auditum non dettereat, sed pocius ut aures demulceat et audientium animos blandiendo ad se alliciat et convertat. ²⁰Si ex hiis aliquid defuerit, vox perfecta nequaquam erit.

²¹Cum autem in unaqueque scientia sit ponere primum et minimum ut puta in grammatica litteram, in loyca terminum, in arismetrica binarium, sic in musica primum et minimum est tonus. ²²Nam sicut in arismetrica unitas non est numerus sed principium numeri, ita nec illic modus qui dicitur unisonus, aliquam

21--24 SUMM. GUID. Commentarium I, 9-12

14 ari] ad *cod.*

18 et clara] et acuta clara *ante corr.*

19 trepidet] trepedet *cod.* | blandiendo] plandiendo *cod.*

vocis differentiam proprie constituit si communiter loqui velimus, sed est principium aliorum tonorum scilicet toni, dytoni tritoni etc. ²³Si autem obicitur quod semitonium simplicius sit tono eo quod sonat idem quod dimidius tonus, ergo semitonium est dimidius tonus <et debeat esse> principium in musica, respondendum quod semitonium non est dimidius tonus, sed est tonus imperfectus, et propter hoc non potuit esse simplicissimum in musica. ²⁴Etiam potest dici summendo tonum large, sic comprehendit semitonium, stricte autem sumendo non.

<II>

¹Post hec sciendum quod hoc nomen tonus multipliciter sumitur. ²Quandocumque idem est quod accentus et sic sumitur a Donato in *Barbarismo*, et sic non sumitur hic. ³Alio modo tonus est nota [est nota] tendens a linea in spacium proximum vel econverso, et sic est minimum in musica. ⁴Alio modo tonus est propria notificatio cantus per *seculorum amen* de quo infra habebitur. ⁵Et describitur sic : tonus est regula de unoquoque cantu maxime in fine diiudicans. ⁶Et dividitur. Alius enim est autentus, alius plagalis, hoc est : aliquis est principalis et aliquis subiugalis autenti vel principales sunt primus, tertius, quintus et septimus, ⁷sed plagales vel subiugales sunt secundus, quartus, sextus et octavus. ⁸Dubitatur quare tot habeamus tonos et nec plures nec pauciores, ⁹respondetur quod veteres Greci musici tantum habuerunt quatuor tonos.

Versus :

¹⁰Quatuor esse tonos dixere veteres periti :

¹¹Prothus cum deuthero cum trito sicque tetrardus.

¹²Sic et plagalis quamvis capit nomen eius.

(II) 1-5 SUMM. GUID. Commentarium II,14-17

10-11 cf. Meyer, *Versus*, p. 110-111

12 cf. TRAD. Holl. III 6, 36, TRAD. Holl. *passim* (cf. *ibid*, p. 111)

3r

¹³ Quilibet autentus comprehendebat sub se suum subiugalem.
¹⁴ Moderni vero subtilius discutientes rem consideraverunt cantum in gravibus et acutis sese non comparati ymo discrepantiam hinc inde generari intollerabilem. ¹⁵ Unumquemque ergo cantum ad antiquorum dissonoritatem evitandam diviserunt in duos modos, scilicet in autentum et plagalem, deputantes ipsis autentis voces acuciores vel magis accutas, plagalibusque vero voces | graviores vel magis graves ¹⁶ unde adhuc in signum veritatis illius habemus quatuor claves finales omnium tonorum ut infra patebit, et quia quatuor toni non sunt in plures vel pauciores divisi, ergo tantum octo habemus tonos.

¹⁷ Etiam dicentes quare Antiqui tantum habebant quatuor tonos, respondetur quod ratio est quia sicut annus divisus est in quatuor partes secundum successionem in quibus movetur secundum partes ordinis, eodem modo proportionabiliter in musica. ¹⁸ Eo quod omnis cantus est quedam res in successione, ideo Antiqui quatuor ordinabant sonos secundum prius et posterius. ¹⁹ Alia ratio ad proportionem quatuor elementorum ipsi Greci diviserunt tonos, eo quod sicut elementa secundum has differentias grave vel leve a se invicem distant et ordinata sunt, et ita quatuor toni a se invicem distantes debitum ordinem faciunt etc.

²⁰ Et de psallendi metis pariterque canendi

²¹ Normas Gwidonis summula deque tonis

²² Dicitur equivoce tonus accentus nota signum

²³ Estque tonus cantum regula fine probans

²⁴ Quatuor esse tonos voluit discreta vetustas;

²⁵ Finales testes, quos retinemus adhuc.

²⁶ Quomodo temporibus bis binis sic volvitur annus,

²⁷ Sic cantus totidem disposuere modis.

²⁸ Aut elementa suis nec? quatuor ordo ligavit,

14-16 SUMM. GUID. Commentarium I, 24-27

17 (sicut...)-19 SUMM. GUID. Commentarium I, 28-31

20-40 SUMM. GUID. v. 1-26

- ²⁹ Sic quadruplex suberat quatuor ordo tonis.
³⁰ Sed quia discutiunt subtilius omnia nostri,
³¹ Censebant discors esse canoris opus.
³² Nam gravitate simul et acumine saepius unum
³³ Oppositum sibimet comperere modum.
³⁴ Denique se gravia non compatiuntur acutis
³⁵ Altaque submissis dissonat oda suis.
³⁶ Errorem veterum nostri sedare volentes
³⁷ Quemlibet in binos dissecuere tonum.
³⁸ Autentus tonus est quem plus extollit in altum
³⁹ Quique magis gravis est, ille dicitur plagis. <...>
⁴⁰ Dorius et frigijs, lidijs mixolidijsque
⁴¹ Autentis suberunt, si qualibet additur hypo.

^{42a} Tonorum alius	autentus vel principalis	Prothus primus Deuterus tertius Tritus quintus Tetrardus septimus Prothi secundus
	plagalis vel subiugalis	Deutri quartus Triti sextus Tetrardi octavus dorius primus frigijs tertius lidijs quintus mixolidijs septimus
^{42b} Vel sic tonorum aliquis	autentus	<hypo>dorsis [!]
	plagalis	<hypo>frigijs <hypo>lydii <hypo>mixolydii

⁴⁰ hypo] dico *cod.*

<III>

¹ Restat videre de proprietatibus tonorum hoc est de officiis et virtute singulorum.

² Pro quo sciendum quod primus motivus est quamplurimum et abilis ad movendum animum ad varios affectus. ³ Unde ut in hystoriis tanquam | egregius advocatus plerumque praemittitur, ut ibi *Ecce tu pulcra es* et in *O pastor*.

3v

⁴ Plagalis vero eius est secundus tonus flebilis et gravis ad tristes materias maxime ydoneus est. ⁵ Unde et convenienter omnia illa per quae sancta ecclesia adventum domini desiderare se commemorat, solus sibi vendicat ut *O sapientia* et ceteris et in Ascensione Domini *O rex gloriae* et caetera.

⁶ Tertius vero tonus severus est et ad bella incitativus per quem nobis innuitur quod contra spirituales nequitas strenue et severe vincere debemus, unde et primum responsorium in Pasca, quod est *Angelus domini*, convenienter sub hoc tono decantatur quando Christus morte mortem subegit. ⁷ Et congrue aptatur illis cantibus, ubi aliquid fortitudini vel potentie ostendi comprobatur, ut de sancta cruce *O crux*, et ibi *O gloriosum lumen*.

⁸ Plagalis vero eius est quartus tonus. Adolativus est et blandus, et morose graditur et non statim quemadmodum tertius tonus ascendit sicut evidenter patet in illa antiphona de domina nostra *Haec est dies* et in multis aliis.

⁹ Quintus tonus modestus est et letificans, et multum dulcis eo quod bimolle sibi deservit, sicut patet in hac antiphona *Alma redemptoris* et in aliis quampluribus.

(III) 1 (et virtute...)-12 SUMM. GUID. Commentarium I, 34-43

3 (Ecce tu...) CAO 2547 | (O pastor) CAO 4051

4 (O sapientia) CAO 4081 | (O rex gloriae) 4079

6 (Angelus domini) CAO 6093

7 (O crux) CAO 4018 | (O gloriosum lumen) CAO 4030

8 (Haec est dies) CAO 2997

9 (Alma redemptoris) CAO 1356

¹⁰Plagalis vero eius scilicet sextus, dulcis est qui animum ad pietatem et ad lacrimas compellit, sicut evidenter apparet in illo responsorio *Videns Iacob vestimenta Ioseph* etc.

¹¹Septimus saliens est et lascivus, ut patet ibi *Assumpta est Maria in celum* et ibi *In civitate domini*.

¹²Plagalis eius scilicet octavus levior est morosus et suavis, ut patet in hac antiphona *Dum ortus fuerit sol de celo*.

Unde versus :

¹³Omnibus est primus, sed et alter est tristibus aptus:

¹⁴Tertium iratis sed quartum dicitur da facere blandis,

¹⁵Quintum da laetis, sextum pietate repletis,

¹⁶Septimus est iuvenis, octavus vero sapientum.

¹⁷Primus morose et curiose vagatur. Exemplum :



O pas-tor e-ter-ne

¹⁸Secundus rauce et graviter, ut in exemplo :



¹⁹Tertius saltando indignatus graditur, ut in exemplo :



²⁰Quartus adolatorie sonat, ut in exemplo :



10 (Videns Iacob...) CAO 7857

11 (Assumpta...) CAO 1503 | (In civitate...) CAO 3210

12 (Dum ortus fuerit...) CAO 2462

13-16 TRAD. Holl. V 4, 649-652

17 (O pastor...) CAO 4051

²¹ Quintus modeste et lete :



Al- ma

²² Sextus lacrimosa voce canitur :



Vi-dens Ia-cob. O quam glo-ri- o-se

²³ Septimus saltando lascive :



<In> ci-vi-ta-te[m] do-mi-ni

²⁴ Octavus dece<n>ter, et matronaliter ut in exemplo :



Dum or-tus fu-e-rit. Be-a-tus vir

<IV>

¹ Post hoc sciendum quod quatuor sunt claves finales omnis cantus vel toni. Pro cuius evidentia est notandum quod clavium alii dicuntur graves, ut ·Gamma·ut, ·A·re, ·B·mi, ·C·faut, alie finales ut ·D·, ·E·, ·F· et ·G·. ² Acute sunt ·a·, ·b·, ·c·, ·d·, superacute |

4r

·e·, ·f·, ·g·, excellentes ·aa·, ·bb·, ·cc·, ·dd·.

Versus :

³ Claves octo graves septem dicuntur acute,

⁴ Vero quatuor excellentes quas inchoat a duplatum

⁵ Gama graves, ·D· finales, ·a· prebet acutas,

⁶ ·e· superacutas, ·aa· inchoat duplatas.

(III) 22 (O quam...) CAO 4063

24 (Beatus vir) @ Cantus 200606

(IV) 3-4 TRAD. Holl. *passim* (cf. Meyer, *Versus*, p. 81 sqq.)

5-6 TRAD. Holl. *passim* (cf. Meyer, *Versus*, p. 82)

(IV) 2 e f g] ee ff gg *cod.*

4 excellentes] excellenter

⁷Primus et secundus tonus habent suum domicilium in ·D·, tercius et quartus in ·E·, quintus et sextus in ·F·, septimus et octavus in ·G·. ⁸Et dicuntur claves domiciles vel domicilia, i. terminum vel fines in quibus proprie habent cognosci vel discerni, licet cum cantus secundum suum primum vel principium variatur per ascensum vel descensum et efficiatur dubius, tamen in suis domiciliis notificatur.

Versus :

⁹Claves finales bene constat quatuor esse

¹⁰Iudicio quarum subiacet omne melos

¹¹Nam medium cum principio quocumque feratur,

¹²Illius est toni, quo tibi fine dat.

¹³Primus et alter ·D· tenet ·E· ternus quoque quartus,

¹⁴·F· quintus, sextus, ·G· septimus atque supremus.

¹⁵Quatuor in locis serviunt cantus regularis

¹⁶Desinit in aliis incongruus habetur.

<V>

¹<C>um autem toni secundum proprios et speciales ambitus quamplurimum cognosci habeant et discerni, sciendum est distancia sive proprium spatium, quod regula unicuique tono in scala musicalis indulget. ²Iste autem ambitus tam autentis quam plagalibus equalis est. Nam ambitus cuiuslibet toni regulariter octo clavibus contentus est. ³Omnes autem autentis a finali suo ad octavam regulariter ascendunt, licenter autem ad nonam vel deci-

9-12 SUMM. GUID. 45-48

13-14 TRAD. Holl. *passim* (cf. Meyer, *Versus*, p. 113)

15-16 TRAD. Holl. *passim* (cf. Meyer, *Versus*, p. 113)

(V) 1-2 SUMM. GUID. Commentarium II, 2-4

3-8 IOH. COTT. mus. XII, 8-14.

13 alter] aliter *cod.*

(V) 3 a finali] ac finali *cod.* | licenter] dicenter *cod.*

mam. ⁴Licentiam aut regulam idcirco distinguamus ut sciamur quod ille voces raro contigende sunt que per licenciam conceduntur, quod enim quas per regulam, hoc est quasi ex debito habent, imo liberius eo frui possunt. ⁵Que autem per licentiam possidentur, ea tamquam per gratiam possessa, humiliter atque prudentius sunt tractanda. ⁶Descendunt autem a finali ad proximam ubi nullam eis licentiam a peritis musicis concessam reperitur. ⁷Excipitur inde quintus tonus cui nulla infra finalem descensio attributam est propter semitonii imperfectionem. ⁸Plagales autem omnes a finali usque ad quintam ascendunt.

⁹Ambitus ergo primi toni est a ·D·solre in ·d·lasolre, ambitus tercia ab ·E·lami in ·e·lami, ambitus quinti ab ·F· in ·f·, septima <a> ·G· in ·g·, et dicuntur autentici. ¹⁰Et si non excedunt huiusmodi ambitus tunc est cantus <regularis>. ¹¹Si autem ex licentia assumunt nonam vel decimam, tunc erit irregularis. ¹²Sed ambitus tonorum plagalium [primo] secundi est ab ·A·re usque in ·a·lamire, quarti a ·B· usque in ·b·, sexti a ·C· in ·c·, octavi a ·D· in ·d·, et est idem ambitus cum primo tono, sed sunt diversi ut patebit. ¹³Et si hiis clavibus venit quo ad ascensum, cantus dicitur regularis. ¹⁴Sed dicens que est regula descendendi in tonis autentici a suo finali, respondetur quod una nota subter potest descendi. ¹⁵Sed contra, aliqua antiphona primi toni descendit ad quartam sub suo finali et complectitur secundum tonum vel ambitum secundi toni, ergo non erit primi toni, sed secundi, quia etiam non ascendit ad octavam more autentorum. ¹⁶Exemplum de illa antiphona *Ecce tu pulchra*. ¹⁷Respondetur secundum Odonem expertissimum musicum, quandocumque aliqua antiphona

16 (Ecce...) CAO 2547

4 licentiam] dicentiam *cod.* | quas] quis *cod.*

5 licentiam] dicentiam *cod.*

6 eis] eique *cod.* | reperitur] repercutitur ? *cod.*

9 F] ff *cod.* | f] fff *cod.* | g] gg *cod.*

17 Odonem] odorem *cod.*

4v

binies vel ternies repercutitur quintam vel pluries, tunc deputatur autento, quia in superioribus frequentius versatur, quod ideo fit ut principalius | honor conservetur. ¹⁸ Dominus namque sive magister non solum in propria potestate habet, sed etiam in ea que subdita sunt ei. ¹⁹ Subdito autem sufficere debet si a magistro sibi concessis humiliter uti liceat nedum ad ea que sunt prelati sui se proripiat.

Secundus tonus

e u o u a e Magnificat

Primus tonus

e u o u a e Magnificat

Quartus tonus

e u o u a e Magnificat

Tertius tonus

e u o u a e Magnificat

Sextus tonus

e u o u a e Magnificat

Quintus tonus

e u o u a e Magnificat


Octavus tonus

e u o u a e Magnificat


Septimus tonus

e u o u a e Magnificat


¹⁷ principalius] principibus *cod.*




Secundus tonus regularis




<note raro
principales> irregularis




Primus tonus regularis




note raro
principales




Quartus tonus regularis




irregularis <note principales>



Tertius tonus regularis




<principales> nunquam




Sextus tonus regularis


·d<d>·



Quintus regularis




raro
irregularis note principales
nunquam




Octavus regularis



raro principales note



Septimus regularis



raro note principales

5r

³⁵Superius dictum est de ambitu tonorum quod unusquisque tonus continetur in octo clavibus. ³⁶Nunc videndum est quot notis et quo cantu unusquisque tonus utatur. ³⁷Primo sciendum ex quo tamen plagales de numero par versa<n>tur gravibus, ideo precedunt suos autentos in scala musicali quantum ad descensum.

³⁸Ideo primo de secundo tono, qui maxime descensivus est gravium, primo est dicendum. ³⁹Utitur ergo secundus tonus omnibus notis primi cantus b duralis quamvis raro descendat ad ·Γ·, que a musicis modernis est superaddita, et simpliciter fiat in illo offertorio de confessoribus *Veritas mea*. ⁴⁰Si recte notatur, tunc debet incipere in ·D·-solre, et tunc in ista dictione “exaltabitur” fit descensus ad ·Γ·. ⁴¹Item secunda nota <in ant.> *Dum fabricator* debet esse ·Γ· +·Γ· prima...+ utitur etiam omnibus notis primi cantus naturalis et hoc in cursu regulari. ⁴²Sed raro debet attingere ·a·lamire quia si sepius fit, tunc deputatur primo tono, ut patebit irregularis. ⁴³Sed ex licentia potest attingere sextam, scilicet ut quilibet tonus plagalis, hoc est ·b· ⁴⁴Sed nos seculares non ita frequenter utimur cantu b molli sicut moniales vel religiosi, et ergo loco sexti illius utimur septimam, scilicet *fa* in ·c·, ut patet in illo responsorio *Christi virgo*. Similiter “domine non secundum peccata nostra”. ⁴⁵Et quandocumque ascendit sextam vel septimam, tunc dicitur cantus irregularis, nisi fiat transpositio cantus propter aliquas certas causas, ut patebit in sequentibus. ⁴⁶In illa antiphona *Collegerunt pontifices* etc. secundi toni, debet incipi in ·D· et debet ita emendari quod manet in vero cursu, quod ultima nota huius dictionis “pharisei” cantetur in eodem. ⁴⁷Sed prima nota huius dictionis “consilium” deprimatur vel descendit in ·A·-re, et sic sine errore potest in suo ambitu continuari. ⁴⁸Sed note principales illius toni sunt *re, fa*, id est ·D· et ·F·. ⁴⁹Et

38 (Veritas mea) GT p. 483

41 (Dum fabricator) CAO 2453

44 (Christi virgo) CAO 6278

46 (Collegerunt) CAO 1852

41 prim...] privatione ? prima ratione ?

42 alamire] la mi a *cod*.

43 ut] et *cod*.

46 cursu] tono *cod*.

D-Tu Mc 48, f. 1r-10r

19

47 in ·A·re] in omni *cod.*

ergo describitur sic secundus tonus: est modus cantandi regularis, ad primum cantum naturalem elevabilis et ad primum b duralis depressibilis, cuius melodya versatur in gravibus, sepius *re fa* utentibus, tristibus materiis convenientibus quo ad proprietatem soni.⁵⁰ Ex quibus elicitur quod secundus tonus in suo vero ambitu habet duodecim notas, scilicet in primo cantu b durali sex et sex in primo cantu naturali.⁵¹ Sed in cursu regulari additur una scilicet sexta vel septima computando a prima nota iniciali scilicet ·D· etc.

⁵²Item nota primus tonus quo ad descensum utitur omnibus notis primi cantus naturalis, sed quo ad ascensum utitur omnibus notis b mollis et omnibus notis secundi cantus b duralis, una scilicet *la* dempta, et hoc in cursu regulari.⁵³ Sed ex licentia assumit istam nonam, scilicet *la* quidem nona et ultima, hoc decimam scilicet *fa* in ·f·. Sicut quilibet tonus autentus ex licentia ascendit ad decimam, et tunc erit irregularis, ut in ista sequentia *Celi enarrant*, que est primi toni, in illo versu "in omnem terram".⁵⁴ Et eius note principales sunt *re, la*.⁵⁵ Et ergo primus tonus sic describitur: est modus cantandi regularis, ad primum cantum b mollem vel secundum b duralem quo ad ascensum elevabilis, et ad primum cantum naturalem quo ad descensum depressibilis.⁵⁶ In melodya principaliter versatur in accutis, *re, la* sepius verberantibus, id est ·a·lamire et ·d·lasolre, morose et curialiter animum mulcentibus.⁵⁷ Ex quibus patet quod primus tonus in toto suo ambitu et vero cursu utitur decem et septem notis, scilicet sex primi cantus naturalis, sex primi cantus b mollis et quinque de secundo cantu b durali.⁵⁸ Sed in cursu irregulari | superadduntur due et erunt decem et novem.

5v

⁵³ (*Celi enarrant*) AH 50, n° 267 (auct. Godescalcus Lindpurgensis)

⁵² ascensum] descensum *cod.*

⁵⁶ d-*la-sol-re*] *dsolre cod.*

⁵⁹Quartus tonus utitur quatuor notis primi cantus b duralis quo ad eius descensum quamvis raro utitur ·B·. Quo ad ascensum eius mediocrem utitur omnibus notis primi cantus naturali. ⁶⁰Sed quo ad ulteriorem ascensum potest uti quatuor notis b mollaris, quamvis raro fit vel numquam. ⁶¹Sed tribus notis secundi cantus b duralis magis frequenter utitur et hoc in cursu regulari, et assumit ex licentia sextam, scilicet *fa* in *c-sol-fa-ut*, ut in illa antiphona [est]: *Hec est dies* de beata virgine. ⁶²Et note eius principales sunt *mi, la*, id est ·E· et ·a·. ⁶³Et ergo diffinitur sic: quartus tonus est modus cantandi regularis ad ·b·*fa*·*mi* in secundo cantu b durali elevabilis, et ad primum cantum naturalem depressibilis, cuius melodia principaliter versatur in *mi, la*, dulciter et blande sonans. ⁶⁴Ex quibus sequitur quod in toto ambitu tantum utimur novem notis, scilicet sex primi cantus naturalis, et tres secundi cantus b duralis quamvis pluribus uti posset, quod raro contigit, etc.

⁶⁵Item nota tercius tonus in eius descensu utitur quatuor notis primi cantus naturalis, ut frequenter, et aliquando raptim utitur quinta, scilicet *re* in ·D·solre, et posset uti omnibus notis primi cantus b mollis, quamvis non fit in suo ambitu. ⁶⁶Sed magis frequenter utitur omnibus notis secundi cantus b duralis, que habent accutum sonum. ⁶⁷Natura iratis apropiatur, et eius note principales sunt *mi, fa*, in secundo cantu b durali. ⁶⁸Et ex licentia posset assumere nonam vel decimam, quamvis nunquam fit vel raro. ⁶⁹Aliquociens enim assumit nonam, id est ·f·faut, ut in illo responsorio *Discubuit Iesus* de Corpore Christi et ergo tercius tonus sic describitur: est modus cantandi regularis ad omnes notas secundi cantus be mollis elevabilis, et ad [·E·lami vel] ·D·solre depressibilis, cuius melodia +vel emitonia+ versatur in *fa*

⁶¹ (Haec est dies) CAO 2997

⁶⁹ (Discubuit...) @ *Cantus* 600586

⁶² e.] la mi *suprascr.* | a] la re *suprascr.*

⁶⁹ Iesus] Iohannes *cod.*

mi, accute irateque sonans.⁷⁰ Ex quibus sequitur quod in suo ambitu utitur 11 notis, ut frequenter quo videlicet ad ascensum sex secundi cantus b duralis et quinque quo ad descensum primi cantus naturalis, quamvis pluribus uti posset in suis clavibus contentis etc.

⁷¹Item nota sextus tonus quo a suum descensum utitur omnibus notis primi cantus naturalis prout frequenter, et omnibus notis primi cantus b mollis iterum prout frequenter, quamvis ultima, scilicet *la* in ·d·lasolre, in vero cursu uti non possit.⁷² Potest etiam uti quo ad eius ascensum quatuor notis secundi cantus b duralis.⁷³ Assumit eciam aliquando ex licentia sextam, id est *la* in ·d·lasolre, et ·a·lamire in primo cantu naturali, et ergo sic describitur: ⁷⁴sextus tonus est modus cantandi regularis ad supremam notam primi cantus b mollis in cursu irregulari elevabilis, vel ad *sol* in *c-sol-fa-ut* in cursu regulari elevabilis, et ad omnes notas primi cantus naturalis depressibilis cuius melodia principaliter versatur in *fa*, *la*, dulciter et amene sonans, animum ad pietatem provocans.⁷⁵ Ex quo sequitur quod sextus tonus in vero ambitu utitur 11 notis prout sequitur, videlicet sex primi cantus naturalis, et quinque primi cantus b mollis quamvis pluribus posset uti in clavibus contentis.⁷⁶ Et potest fieri in officiis, offertoriis vel gradualibus. Exemplum *Omnes gentes* in vigilia Ascensionis, etc.

6r

⁷⁷Quintus tonus utitur generaliter omnibus notis primi cantus b mollaris quo ad eius descensum, et ulterius descendere non potest propter imperfectionem semitonii, quamvis aliqui assumunt ·D·solre in eius descensu, ut in illa antiphona *Alma redemptoris*, in illa dictione "genitorem".⁷⁸ Potest eciam uti quo ad mediocrem eius ascensum omnibus notis secundi cantus b duralis.⁷⁹ Sed quo ad ulteriorem ascensum utitur quatuor notis

⁷⁶ (Omnes gentes) CAO 4125 ?

⁷⁷ (Alma...) CAO 1356

videlicet *ut, re, mi, fa* secundi cantus naturalis, et hoc in vero cursu.⁸⁰ Posset etiam summere ex licentia nonam et decimam, id est *·g·solreut* et *·a·lamire* in secundo cantu naturali, quidem raro fit.⁸¹ Exemplum ut *O praeclara* de Visitatione sancte Marie, quod est toni indivisi, scilicet sexti et quinti, et *Accessit ad pedes* de beata Maria Magdalena.⁸² Fit tamen in illo responsorio *Gaudia qui vite* de Conceptione beate virginis Marie et eius note principales sunt *fa, fa*, et ergo describitur sic :⁸³ quintus tonus est modus cantandi regularis ad *·f·faut* elevabilis et ad *·F·faut* depressibilis, cuius melodya principaliter versatur in *fa, fa*, id est in *·F·faut* et *·c·solfaut*, principaliter letis attributus.⁸⁴ Ex quibus sequitur quod ille tonus utitur decem notis, quatuor secundi cantus naturalis <...> prout raro antiphonis quam in officiis, offertoriis, gradualibus sepius, etc.

⁸⁵Item nota octavus habet eundem ambitum primo, quamvis non est idem tonus cum primo, ut patebit.⁸⁶ Utitur autem quo ad eius descensum omnibus notis primi cantus b mollis sed raro.⁸⁷ Sed plus generaliter utitur quinque notis secundi cantus b duralis, et hoc in cursu regulari, et ex licentia assumit singulariter *la* in *·e·lami*.⁸⁸ Et eius note principales sunt *ut, fa*, in *·G·solreut* et *·c·solfaut* in secundo cantu b durali.⁸⁹ Ex quo sequitur quod octavus tonus sic describitur : est modus cantandi regularis ad *·d·lasolre* elevabilis et ad *·D·solre* depressibilis, cuius melodya principaliter versatur in *ut fa*, sapientibus appropriata.⁹⁰ Ex quo ulterius sequitur quod generaliter utitur octavus tonus 11 notis, 5 secundi cantus b duralis et sex primi cantus naturalis.⁹¹ Sed tamen raro descendit in *ut* in *·C·faut*.⁹² Potest etiam uti omnibus notis primi cantus b mollaris in suis clavibus contentis, etc.

81 (*O praeclara*) @ *Cantus* 601617 | (*Accessit...*) CAO 6016

82 (*Gaudia...*) AH 5, n° 13 (p. 151)

83 principaliter melodya *cod.*

⁹³Item nota septimus tonus utitur omnibus notis secundi cantus b duralis, quo ad eius ascensum mediocrem. ⁹⁴Sed quo ad ulteriorem ascensum utitur quinque notis secundi cantus naturalis et ex licentia assumit sextam, scilicet *la* in ·a·lamire, ut in illo responsorio *Ductus est Ihesus in desertum*. ⁹⁵Et eius note principales sunt *ut, sol*, in ·G·solreut et ·d·lasolre in secundo cantu b durali. ⁹⁶Et ergo diffinitur sic: septimus tonus est modus cantandi regularis ad ·g·solreut elevabilis, et ad ·G·solreut depressibilis, cuius melodia principaliter versatur in *sol, ut* et econverso *ut sol*, et iuvenibus appropriatus ratione ascensus. ⁹⁷Ex quibus sequitur quod in toto suo ambitu utitur undecim notis in cursu regulari, scilicet quinque in secundo cantu naturali et sex in secundo cantu b durali, et ex licentia assumit singulariter duodecimam notam, quo ad numerum non autem quo ad ascensum, etc.

<VI>

¹Ex his que dicta sunt, videtur quod primus et octavus sunt idem tonus hac ratione: diversi toni sunt quorum termini et ambitus sunt diversi, ²sed primus et octavus omnino habent eundem terminum | et ambitum, ergo non sunt diversi toni, sed idem tonus. ³Responditur quod unus et idem tonus sit primus et octavus secundum essentiam, differt tamen secundum rationem, quod sic patet: ⁴·D·solre enim finalis et ·d·lasolre acuta, quamvis sint termini primi toni hoc est ut autenti, octavi vero ut plagalis. ⁵Et sic ·D· finalis et ·d· acuta non sunt termini eodem modo primo et octavo, nam ·D·solre finalis est terminus primo tono, ut dans ei domicilium, ⁶sed octavo, ut finiens seu recipiens

6v

⁹⁴ (Ductus...) CAO 6529
(VI) 1-6 SUMM. GUID. Commentarium II, 9-16

² sed-octavus] sed primus et octavus *add. cod.*
⁴ octavi] 8vo *cod.*

ultimum descensum eius, et propter hoc non apparet quod sit idem tonus.

<VII>

¹Nunc queritur quare primus et octavus soli habent eundem ambitum et non alii. ²Videtur enim quod alii duo possent habere eundem ambitum ita bene sicut primus et octavus, et hoc sic, sicut se habet primus autentus ad ultimum plagalem, ita se habet primus plagalis ad ultimum autentum, et porcionaliter et equaliter distant. ³Si ergo primus autentus et ultimus plagalis ita se habent, quod possunt habere unum et eundem ambitum, similiter videtur quod ultimus autentus, scilicet septimus, et primus plagalis, scilicet secundus, ita se habebunt quod possunt habere unum et eundem ambitum, vel dicatur quare non.

⁴Item queritur quare quintus non habeat eundem ambitum cum quarto vel secundo, sicut octavus cum primo et videtur quod potius habere debeat hoc modo. ⁵Quandocumque duo minus a se invicem distant, illorum maior est convenientia, sicut patet in coloribus : pallidum enim vel rubeum magis habeant convenientiam quam album cum nigro. ⁶Cum ergo quintus minus distat a secundo vel quarto, quam octavus a primo, videtur quod multo fortius quintus cum secundo vel cum quarto possit habere eundem ambitum quam octavus cum primo.

⁷Ad primum dicendum est quod non similiter se habent ultimus autentus cum primo plagali sicut se habet primus autentus cum ultimo plagali, sed valde dissimiliter. ⁸Primus enim plagalis inter omnes tonos maxime est descensivus et gravium appetitivus. ⁹Ultimus vero autentus, scilicet septimus, inter omnes tonos maxime est ascensivus et propter hoc nulla ratione poterunt sub eodem climate sive ambitu simul claudi. ¹⁰Sed primus autentus et ultimus plagalis non sic se habent, nam primus autentus ea ratione, quia autentus, erat ascensivus et acutarum appetitivus et ipse ultimus plagalis, scilicet octavus, quia plagalis descensivus erat et inferiorum appetitivus. ¹¹Et propter hoc cum alter superioris erat ad alterum et hic appeteret ascendere, alter vero descendere naturaliter contigit et oportuit convenire eos et sese

in ipsa scala amplecti. ¹²Et ita patet quod primus et octavus habent eundem ambitum et alii non.

¹³Ad aliud dicendum est, licet primus et octavus maxime a se invicem distant secundum virtutem et rationem, tamen quia alter erat superior ad alterum, sed superior tendebat ad inferiora et inferior ad superiora, naturaliter oportuit eos convenire ut dictum est. ¹⁴Conveniebant autem sic proporcionaliter, quia domicilium primi quarta clavis erat ipsi octavo infra suum finale, et suprema octavi erat etiam suprema ipsius primi. ¹⁵Et propter hoc omnia sub eodem ambitu sunt unita, et quia similis proportio nullis aliis contingebat, nulli alii poterant sub uno ambitu uniri.

¹⁶Ad hoc quod obieciatur, quod minus quintus a secundo vel a quarto distet quam octavus a primo, et ita pocius deberent uniri, unde dicendum est | quod octavus tonus potest dupliciter considerari, primo secundum proprium domicilium eius et propriam virtutem. Et sic differt a quolibet tono secundum speciem, et sic fortasse magis distat a primo quam quintus a secundo vel a quarto. ¹⁷Considerando autem ipsum octavum tonum secundum eius claves, que ipsi secundum debitam proportionem debentur in scala musicali, dico quod sic multo magis cum primo convenit, quam quintus cum secundo, vel quarto. Convenit enim cum primo secundum octo claves, et cum secundo secundum quatuor tantum. ¹⁸Quintus vero non convenit cum secundo nisi tantum secundum tres claves, et cum quarto secundum quatuor tantum. ¹⁹Et propter hoc argumentum supponit falsum, unde non potuit esse quod quintus cum secundo vel cum quarto sub uno sit ambitu sicut primus cum octavo.

7r

(VII) SUMM. GUID. Commentarium II,18-44

6 quam-nigro] album quam nigrum *cod.*

13 tendebat] descendebat *cod.*

14 erat¹] erit *cod.*

²⁰Item videtur quod plures debeant esse ambitus et etiam plures toni et hac ratione : in scala tonorum, sicut dictum est, sunt septem ambitus. ²¹Supremus enim ambitus non excedit ·g·solreut superacutam. ²²Cum ergo ultra illam restant quatuor claves que dicuntur esse excellentes, aut ille claves inutiles sunt et frustra invente, aut oportebat esse ambitum vel plures ambitus attingentes illas claves, et ita plures erunt toni. ²³Ad hoc dicendum quod plures naturaliter non poterant esse ambitus, cum scala tonorum ipsi voci humane sit proporcionata, sicut ·g·solreut superacuta viribus vocis humane meta extitit sufficiens, ita et ambitus transcendens talem metam esse non potuit.

²⁴Preterea si esset aliquis tonus super octo tonos, necessario oppoteret talem tonum domicilium habere in aliqua istarum quatuor clavium ·a·, ·b·, ·c·, ·d·, que dicuntur accute. ²⁵Si autem ibi haberet domicilium, tunc cantus huius toni non differret ab aliquo aliorum tonorum, nisi accidentaliter et propter hoc non potuerunt esse plures toni. ²⁶Sepe enim cantus transponitur et tamen nichilominus manet ibidem tonus. ²⁷Si autem obicitur quod claves excellentes frustra sunt invente, ad hoc dicendum quod re vera apud veteres musicos tantum 14 erant claves, et illas assignabant per duo alphabeta. ²⁸Postmodum vero a modernis addite sunt quinque claves, una in loco infimo et quatuor in loco supremo.

<VIII>

¹His habitis ad plenam cognitionem tonorum sequitur videre de quadam convenientia et differentia. ²Et primo de convenientia et differentia cuiuslibet autenti cum suo plagali, secundo de autentis inter se, tertio de plagalibus inter se. ³Ad horum ergo

(VIII) SUMM. GUID. Commentarium III, 47-56

(VII) **21** ggsolreut *cod.*

23 ggsolreut *cod.*

25 differret] deberet *cod.*

evidentiam notandum quod claves alie sunt proprie, alie communes. ⁴Proprie sunt que alicui tono soli tangende debentur, sicut ·A· gravis, id est ·A·re soli propriare debetur secundo tono. ⁵Communes vero sunt que pluribus tonis tangendis communiter conceduntur, quales sunt ·F· et ·G· finales. ⁶Comparando autem quemlibet autentum suo plagali, sciendum quod quilibet autentus habet tres claves supra sibi soli proprias, quas attingere non licet plagali, et totidem habet plagalis sibi proprias infra inhibitas autento. ⁷Quinque vero inter se habent claves communes utrisque. ⁸Ratio autem huius est ista, quia uniuscuiusque toni ambitus, ut dictum est, non ascendit metam octo clavium. ⁹Cum ergo autentus et plagalis conveniunt in domicilio et differunt in eo, quod autento sub suo finali nulla datur corda tangenda, plagali vero dantur quatuor sub finali, et quoniam tres cordas sortitur plagali sibi proprias autento inhibitas. ¹⁰Similiter autentus tribus clavibus excellentibus suum plagalem sive tres cordas sortitur sibi proprias supra neuter vero plures nec pauciores habet igitur quinque intermedie manent eius communes claves et alie differentiales.

<IX>

7v

¹Consequenter restat dicere de differentiis et convenientiis autentorum inter se. ²Notandum ergo quod quatuor autenti preter principalem differentiam qua a se maxime distant, in hoc modo differe volunt quod licet inferiores possint intrare climata superiorum, tamen superiores [non] in inferiorum ambitus relabi non possunt. ³Quidam autem ex eis habent aliquam clavem sibi propriam soli, quidam autem ex eis nullam. ⁴Primus enim habet propriam sibi soli ·D· finale et septimus ·g· supremam sibi soli

(IX) SUMM. GUID. Commentarium III, 60-67

(VIII) 4 tangende] contangenti *cod.*

propriam. ⁵ Alie vero claves intermedie sunt communes duobus autentis, ut puta ·G· finalis est communis primo et tertio, similiter ·f· suprema communis est septimo et quinto. ⁶ Cetere intermedie communes sunt aut tribus autentis aut omnibus autentis, verbi gratia ·F· finalis communis est primo, tertio et quinto. ⁷ Sed omnibus autentis communes sunt ·G·, ·a·, ·b·, <·c·>, ·d· etc.

<X>

¹ Sequitur de quatuor plagalibus comparandis inter se. De quibus breviter est sciendum quod sicut uterque autentorum extremorum habet sibi unam clavem propriam et reliqui autenti nullam, eodem modo uterque extremorum plagalium habet sibi propriam unam clavem et reliqui plagales nullam. ² Nam ·A· gravis, i. ·A·re, est propria secundo tono, ·B· gravis, i. ·b·mi, quarto [i.] propria, et claves intermedie aut communes sunt duobus plagalibus, aut tribus, aut omnibus. ³ Nam ·C· grave, i. ·C·faut, sub est sexto, quarto et secundo, sed ·D·solre solum deservit octavo tono. ⁴ Sed ·E·lami deservit sexto et octavo. ⁵ Sed different ab autentis quia non sunt eedem claves illis et istis, nam ambitus plagalium inferiores sunt ambitibus autentorum ut patet in figuris istis.

<XI>

¹ Consequenter sequitur de comparatione autentorum inter se [autentorum inter se] et plagalium. De quorum differentia sufficienter dictum est, quoniam unusquisque tonus ab altero distat equali proportione <et> natura. ² Notandum tamen est quod in duobus clavibus omnes conveniunt et concurrunt, scilicet in ·G·solreut et ·a·lamire. ³ Nam ille claves et solum que <tam> autentis quam plagalibus sunt communes, et tales tangendo aut transcendendo raro aliquis tonus pretermittit. ⁴ Cetere vero claves

D-Tu Mc 48, f. 1r-10r

30

(X) SUMM. GUID. Commentarium III, 70-72

(XI) **1-4** SUMM. GUID. Commentarium III, 74-77.

tam infra quam supra quanto ille magis sunt propinque, tanto plus sunt communes, et quanto magis remote ab illis tanto magis sunt speciales sive proprie. ⁵Quod evidenter apparet in figuris.

<XII>

¹Hic oritur dubitatio ex his que dicta sunt. ²Cum enim ita se habeant autente et plagales quod autentis debentur loca superiora plagalibus vero inferiora, ³queritur utrum maior sit distantia autentorum inter se, sive plagalium inter se, sicut autenti ad suum plagalem, ⁴et videtur quod maior sit distantia autenti ad suum plagalem, quam autenti ad [suum] autentum, <h>ac ratio<ne> : magis distant illa que distant pluribus punctis, <quam illa que distant paucioribus>. ⁵Sed sic est quod primus autentus distat a suo plagali tribus punctis sive clavibus, sed tantum distat a tercio tono in uno puncto sive in una clave. ⁶Omnes autem claves quas habet tertius tonus, habet et primus excepta una, scilicet *re* superacuta. ⁷Ergo maior est distantia autenti cum suo plagali quam autenti ad autentum. ⁸Item videtur alia ratione : magis differt | asinus ab homine quam ab alio asino, ergo magis distat autentus a plagali quam autentus ab autento. ⁹Sed contra sicut superhabitu est tonus et regula cantuum maxime diiudicans in fine. ¹⁰Cum ergo ex parte finis maxime attendatur iudicium et diversitas quorumcumque tonorum, ergo sequitur quod quo<rumcumque> tonorum fines magis sunt diverse, illi magis sunt diversi seu magis invicem distant. ¹¹Sed autentorum inter se sive plagalium inter se fines sunt magis diversi quam autenti et sui plagalis, quibus idem debetur domicilium. Ergo autentorum inter se sive plagalium inter se maior est distantia, quam autenti et sui plagalis. Responditur quod hoc concedendum

8r

(XII) SUMM. GUID. Commentarium III, 79-99

11 sunt] sive *cod.*

D-Tu Mc 48, f. 1r-10r

32

17 opposite]oppositum *cod.*

est ex eo etiam propter quod aput veteres plagalis idem erat cum suo autentio conveniens adhuc secum in domicilio. ¹²Et licet per clavium distancias plagalis maxime distinctus sit ab autentio, minus tamen distat virtute et natura.

¹³Sed tamen obicitur quod homo magis distat ab asino quam homo ab homine, ita similiter autentus magis distat a plagali quam alio autentio. ¹⁴Respondetur quod non est simile. ¹⁵Homo enim plus distat ab asino quam homo ab homine, nam homo differet specie ab asino, sed ab homine differt solo numero. ¹⁶Non autem sic est de tonis. ¹⁷Possumus enim tonos dupliciter considerare, aut prout sunt ab invicem distincti ut species opposite et sic dico octo toni differere speciei. ¹⁸Aut possumus considerare tonos secundum propriam convenientiam et ydemptitatem domicialem qua inter se conveniunt, et sic dicimus quod autentus maiorem habet convenientiam cum suo plagali quam cum altero autentio, et sic autentus non differt a suo plagali specie, sed familiarius convenit cum eo, ut subditus cum suo superiori, vel sicut generans cum suo generato, et tamen nichilominus secundum viam hanc octo tonos distinguimus a suis proprietatibus differentes ab invicem etc.

<XIII>

¹His habitis cum contingit dubitare plerumque utrum cantus sit autentus vel plagalis, hoc est subiciendum de regulis et de licentia sive gratia uniuscuiusque toni.

²Prima talis est: omnis cantus autentus regulariter potest descendere ad octavam ultra suam finalem et licenter sive de gratia unam cordam supra. ³Sed secundum quosdam vero duas notas supra potest attingere, infra vero finalem non potest regulariter descendere nisi una nota quod concessum est omnibus autentis excepto quinto, eo quod sub finali suo non habet tonum

sed semitonium. ⁴Sed de plagalibus nota : omnis plagalis, i. omnis de numero pari, supra suum finale regulariter <potest> ascendere ad quintam, sed tamen raro illam tangat, licet ex licentia potest attingere sextam, ut patuit. Quare de tali arte tales dantur regule.

⁵Prima regula talis est : si cantus a finali ascendit ad quintam supra finalem, et ter vel amplius repercusserit quintam, licet quartam sub finali attingat semel, potius autentus quam plagali deputabitur, et non manet cantus irregularis. ⁶Tanta est virtus autenti, ut patet in illa antiphona *Ecce tu pulchra es* et in illa *A fructu frumenti* de Corpore Christi etc.

⁷Secunda regula omnis cantus tangens quintam et non descendens sub finali infallibiliter autenti est et non plagalis.

⁸Exemplum : *Sede a dextris meis dicit* etc.

⁹Tertia regula : omnis cantus tangens quintam non iterando sive moram in ea faciendo, sub finali sepe descendens, est plagalis et non autenti.

¹⁰Quarta regula : omnis cantus a finali octavam tangens quantumcumque descendit autenti est. Exemplum : *Fidelis sermo* de beata Maria Magdalena.

¹¹Quinta regula : omnis cantus a finali solum ad quartam ascendens sive descendat sive non, plagalis est. Exemplum *Fidelia omnia mandata eius* etc.

¹²Omnis cantus aut finitur in :

·D·

¹³Aut ascendit quintam et non descendit plus una nota, primi toni est, vel ascendit octavam licet descendat ad quartam primi toni est.

¹⁴Aut descendit ad quartam et non sepe ad quintam ascendit, vel ascendit solum ad quartam et non descendit secundus tonus est infallibiliter.

5-9 SUMM. GUID. Commentarium III, 11-14

6 (Ecce...) CAO 2547 | (A fructu...) @ *Cantus* 200020

7 (Sede...) CAO 4853

10 (Fidelis sermo) CAO 2867

11 (Fidelia omnia...) CAO 2865

- E·
- ¹⁵ Aut ascendit quintam et non descendit plus una nota tercii toni est, vel ascendit octavam licet descendat ad quartam, est tercius tonus.
- ¹⁶ Aut ascendit ad quartam et non sepe ad quintam ascendit, quartus tonus est, aut ascendit solum ad quartam et non descendit, quartus tonus est.
- F·
- ¹⁷ Aut ascendit ad quintam et non descendit plus una nota quinti toni est, aut ascendit octavam licet descendit infra finalem, quinti toni est.
- ¹⁸ Aut ascendit ad quartam et non ascendit sepe ad quintam sextus tonus est, vel ascendit solum ad quartam et non descendit, sextus tonus est.
- G·
- ¹⁹ Aut ascendit quintam et non descendit plus una nota septimus tonus est. Aut ascendit octavam licet descendat ad quartam, septimus tonus est.
- ²⁰ Aut descendit ad quartam et non sepe quintam ascendit, octavus tonus est. Aut ascendit solum ad quartam et non descendit, est octavus tonus.

<XIV>

¹Ex his que iam dicta sunt, satis apparet quare quatuor claves excellentes ultimo invente sunt et quem locum habent. ²Cum enim tonus decimam attingere posset ex licentia necessarium fuit apponere duos claves, videlicet ·aa·lamire et ·bb·fa·b·mi. ³Aliter et melius possumus dicere quod non sint invente causa necessitatis sed causa commoditatis, ⁴immo quando transponere aliquem cantum contigerit, Transponitur autem secundus tonus propter paucitatem notarum, ut in illa antiphona *Magnum hereditatis opus*

1-3 SUMM. GUID. Commentarium III, 26-28

4 (Magnum...) CAO 3677

1 iam dicta sunt] dicta sunt iam sunt *cod.*

in octava Nativitatis super Magnificat, que incipitur in ·a·lamire, ideo transponitur ad quintam.⁵ Primus vel tertius tonus raro vel nunquam transponitur.⁶ Sed quartus transponitur, ut in illa antiphona *Germinabit radix yesse*, que transponitur ad quintam, i. ·a·lamire, quia in illa dictione “salvatorem” fit descensus sive mutatio de secundo cantu b durali in primum b mollem. Et talis melodia non potest cantari in vero suo ambitu, ideo transponitur.⁷ Quintus tonus sepius transponitur ad quintam etiam propter paucitatem notarum.⁸ Exemplum ut in illa antiphona *Voce cordis et oris* de sancta Catharina in secundis vesperis. Propter illam ultimam clausulam “ora iugi”, nisi fit descensus de secundo cantu naturali in primum b mollem, que melodia in vero ambitu cantari non potest.⁹ Iterum sequentia de sancto Ciriaco transponitur propter eandem causam ad quintam videlicet *De torrente passionis*.¹⁰ Iterum *Verbum dei deo natum* sequentia de sancto Iohanne Ewangelista.¹¹ Item *Ave praeclara* de beata Virgine.¹² Item antiphona de sancto Gregorio super Benedictus transponitur ad quintam propter mutationem secundi cantus | naturalis in primum b mollem in illa dictione “terre”.¹² Item viso <...> tertius tonus transponitur ad b-fa-b-mi, ut in eo canitur *fa*, ut in isto responsorio *Post passionem suam*.¹³ Propter Alleluia primum, nisi fit mutatio de primo cantu b mollari in secundum b duralem, melodia non posset cantari in ·E·lami et ·C·faut. Item quartus tonus transponitur, ut in hiis antiphonis *Gaude Maria virgo*, *Dignare me*, etc.¹⁴ In tertio nocturno de Purificatione beate Marie virginis et communiter in primo et secundo nocturno omnes sunt transposite propter descendum sive mutationem

⁵ (*Germinabit...*) CAO 2941

⁸ (*Voce cordis*) @ *Cantus* 205311

⁹ (*De torrente...*) AH 55, n° 111

¹⁰ (*Verbum dei...*) AH 55, n° 188

¹² (*Post passionem...*) CAO 7403

¹³ (*Gaude Maria virgo*) CAO 2924 | (*Dignare me*) CAO 2217

secundi cantus b duralis in primum naturalem, vel magis subtilius si inciperentur antiphone de primo nocturno et communiter alie in ·C·faut vel in ·D·solre, et tunc requirerent tonum, i. perfectam notam sub ·C·faut, que ibidem non est, sed semitonium. ¹⁵Sextus tonus transponitur ut in illo responsorio *Beatus Nicolaus*. ¹⁶Septimus autem et octavus transpositionem non indigent. ¹⁷Ex his patet quod excellentes deserviunt ad transpositionem cantus ut magis liquet et apparet in ista sequentia *Verbum dei deo natum* de sancto Iohanne evangelista.

<XV>

¹His visis, notandum quod sicut habemus octo tonos, ita et octo tonorum tenores et inceptions seculorum amen, et sicut quatuor sunt claves finales tonorum, ita et quatuor sunt claves iniciales seculorum amen. ²Sed differunt, nam duo toni semper sortiuntur sibi unam clavem finalem, tenores vero non. ³Primus enim tonus, quartus et sextus habent suum tenorem in ·a· accuta, i. ·a·lamire, tertius, quintus et octavus in ·c· accuta. ⁴Solus vero secundus [qui ·c·] usurpat sibi ·F· finale et septimus ·d· accutum.



Euouae Euouae Euouae Euouae
primus quartus sextus tertius



Euouae Euouae Euouae Euouae
quintus octavus secundus septimus

(XIV) 15 (Beatus Nicolaus) CAO 6222

17 cf. 10

(XV) SUMM. GUID. Commentarium IV,1-14

⁵Solet enim dubitari circa hoc, videtur enim quod primo tono debeat seculorum secundi toni vel septimi toni. ⁶Obicitur enim sic: aut dicitur primus, quia in gravibus est primus vel quia etiam in acutis est primus? ⁷Si quia primus est in gravibus, debetur ei seculorum secundi, quia magis declinat ad graves. ⁷Si autem quia primus in acutis, debetur ei seculorum septimi. ⁸Aut ergo ipse septimus dicitur primus aut secundus erit primus? ⁹Respondetur ex quo unusquisque autentus divisus sit in tonum principalem et eius collateralem, et graviores corde debentur plagalibus, acutiores vero ipsis principalibus, et quia secundus sit plagalis primi, illius seculorum, quod maxime conveniebat ipsi secundo. Similiter cum septimus sit supremus autentus, illud *seculorum* erat in gravibus, maximo erat in supremis, collatum est ipsi septimo. ¹⁰Sed dicens: quare tercius tonus habeat suum tenorem supra quartam et ad sextam? ¹¹Respondetur quod communiter sub isto intenditur in ·c·solfaut. ¹²Ideo pre ceteris convenienter etiam extollit psalmodiam et tenorem eius etc.

<XVI>

9v

¹Ex predictis notandum occurret quod omnibus tonis commune est non habere tenorem sub suo finali et ultra quintam supra finale, excepto solo tertio, qui tenorem suum habet in sexta pro ipsa quinta. ²Conveniunt etiam autenti inter se, quod tenores incipiunt in quinta, excepto solo tertio, qui incipit in sexta. ³Item conveniunt autenti in eo quod suos tenores habent supra tenores suorum plagalium ad duas cordas, excepto solo septimo, qui octavum transcendit una sola corda. ⁴Item notandum quod omnibus plagalibus est commune quod tenore suo reflectuntur

(XVI) SUMM. GUID. Commentarium IV,17-22

(XV) 9 corde] cordis *cod.*

10 quartam] 5^{am} *cod.*

12 etiam] ecclesia *cod.*

ad sua domicilia quod minime convenit autentis, unde in hoc valde distant tenores plagalium a tenoribus autentorum. ⁵Unde datur pro brevi regula quod omnis tenor aut est ad domicilium tendens aut non. ⁶Si non, autenti est, si sic, plagalis est. ⁷Item notandum pro regula quod omnis tenor, aut est ultra quartam incipiens, aut in ipsa quarta vel sub quarta. ⁸Si est incipiens ultra quartam, autenti est, si in quarta vel sub quarta, plagalis est etc.

<XVII>

¹Postmodum videndum est in quibus clavibus incipiat unusquisque tonus suum *Gloria* sive suum psalmum. ²Pro quo sciendum quod primus tonus, quintus et sextus incipiunt suum *Gloria* in ·F·, secundus in ·C·, tertius et octavus in ·G·, quartus in ·E·lami, septimus in ·D· vel in ·h· prout ibi canitur *mi*, et hoc modo secundum diversitatem ecclesiarum hec diversificantur, sive variantur secundum consuetudinem provinciarum. ³Ex quo patet quod solum sunt quinque claves ad intonandum deservientes.

<XVIII>

¹His habitis restat dicere de differentis seculorum cuiuslibet toni. ²Iste autem differentie secundum diversitatem principii variantur et multiplicantur. ³Unde quot modis principium cuiuslibet toni variari contingit, tot differentias quilibet tonus de iure secundum regulam sortire debet, licet secundum usum diversarum ecclesiarum plures vel pauciores habentur. ⁴Videndum est ergo pro primo quot principia habet quilibet tonus.

⁵Primus tonus habet 5 differentias.

(XVII) 1-2 SUMM. GUID. Commentarium IV,24-26

(XVIII) 1-4 SUMM. GUID. Commentarium IV,28-30

Versus :

⁶Primus ut *Ecce, Leva, Ductus, Volo, Lazarus, Exi.*

⁷Secundus nullam differentiam habet.

Versus :

⁸Alter ut + ... + variatio nulla secundi.

⁹Tertius habet quatuor differentias

Versus :

¹⁰Tertius hic sequitur, *Favus, Omnia, Tollite, Cives.*

¹¹Quartus *Tota, Stetit, Symon, Cum videris, O mors.*

¹²Quintus *Fons, Alma, sextus Lupus et Benedictus.*

¹³Septimus *Mirifica., Homo, Quoniam, Stella, Caputque.*

¹⁴Octavus *Gaude, Iuste, Benefac, Veniet, Fert, etc.*

	C		<i>Ductus est</i>
	D		<i>Ecce nomen</i>
¹⁵ Gradus iniciales primi	E	exem-	<i>Ego te tuli</i>
toni	F	plum	<i>Apertis Thesauris</i>
	G		<i>Tecum principium</i>
	a		<i>Ite dicite</i>

¹⁶Secuntur differentie primi toni.

¹⁷Principalis tonus.



Principalis tonus. *Ec-ce no-men do-mi-ni*

¹⁸Secuntur differentie primi toni.





¹⁹*e u o u a e Le- va lhe- Mu-li-e- res*

10r

6-8, 10-14 cf. HUGO SPÉCHTSH., IAC. TWING., TRAD. HOLL. XIX (cf. Meyer, *Versus*, p. 134)

17 (Ecce nomen...) CAO 2527

19 (Leva...) CAO 3606 | (Mulieres) CAO 3826



25 Nunc in sequentibus notandi sunt gradus iniciales cuiuslibet toni et primo secundi.

<...>

20 (Ductus est) CAO 2431 | (Ecce ego...) CAO 2512

21 (Apertis...) CAO 1447 | (Dominus...) CAO 2419

22 (Lazarus) CAO 3603